

Archidiaconum, licet etiam Vicarium, non posse se abstinere a choro et gaudere distributionibus quotidianis. n. 2289 ad 8 die 30. Aug. 1664.

Non licere Archidiacono Cathedralis Papien. in functionibus per ipsum faciendis tamquam Primicerium deferre ultra Insignia Primicerii etiam illa Archidiaconatus. n. 2793 die 13. Junii 1676.

#### 9) Subscriptio.

Archidiacono in edictis per eum editis non licet nomen proprium inscribere cum illis verbis: *Dei et apostolicæ sedis gratia Archidiaconus etc.* n. 1603 die 20. Febr. 1649.

Cf. de Archidiacono: *Sedes Vicarii gener. et Archidiaconi; Magistratus; Missa priv. Dignitar. etc.; Chorus (initium).*

### ARCHIEPISCOPUS.

#### 1) Accessus ad Suffraganeos.

Quotiescunque Archiepiscopus accedit *solemniter* ad Urbem Suffraganei, debet Episcopus Provincialis illi processionaliter obviamire (cum Canonicis et Clero) n. 101 die 10. Jan. 1597.

#### 2) Benedicens.

Vd. *Benedictio.*

#### 3) Crux.

Vd. *Crux archiepiscop.*

#### 4) Mozzetta.

Vd. *Mozzetta.*

#### 5) Officium.

Vd. *Episcopus (recitatio Off.).*

#### 6) Pallium.

Vd. *Pallium.*

#### 7) Praecedentia.

Vd. *Episcopus (praecedentia).*

Ad Archiepiscopum uti Archiepiscopum majoritate gradus supra Episco-

pum praecedentiam spectare. n. 1779 die 29. Jan. 1656.

*Ad dubium:* quaenam ratio habenda sit inter Episcopos Suffraganeos et Archiepiscopum, cum simul in Metropolitana Divinis interfuturi conveniunt et genuflexi preces effundunt ante altare SSmi. et altare maximum? S. C. resp.: Archiepiscopum oportere genuflectere et incedere digniori quidem loco sed in linea cum Suffraganeis, Archiepiscopum scilicet super faldistorio et Suffraganeos super pulvinaribus hinc inde. At si loco faldistorii Archiepiscopus adhibeat genuflexorium commune, poterunt Suffraganei, si idem capax fuerit, super eodem hinc inde pariter genuflectere. n. 1899 die 8. Junii 1658.

#### 8) Religiosus.

(Habitus).

Vd. *Episcopus regularis (cappa).*

Non licere Archiepiscopo Tarracon. Religioso Professo Ordinis s. Benedicti gestare habitum Cardinalitium sericum ad instar aliorum Archiepiscoporum saecularium, sed servandum esse Caerem. n. 2653 die 12 Aug. 1673. Hoc decret. firmatum est die 16. Junii 1674.

#### 9) Sanctus.

Vd. *Sancti (Officium).*

#### 10) Sedes.

Vd. *Sedes.*

#### 11) Titularis.

(Praeced.)

*Ad dubium* Archiepiscopi Ephesini: num Archiepiscopi titulares in aliena Dioecesi existentes praeferrere debeant Episcopis et Archiepiscopis consecratione junioribus nec non aliis Episcopali characterem senioribus sed gradu archiepiscopali posterioribus, ut puta ad Ecclesiam archiepiscop. post ipsius oratoris ordinationem translatis? S. C.

resp.: Affirmative, extra tamen Ecclesiae ambitum, intra quam Ordinario privative quoad omnes Episcopos et Archiepiscopos, etiam seniores, praecedentia competit. n. 1792 die 8. Apr. 1656. Cf. *Episcopus* (praeced.) Archiepiscopo titulari aequae ac de residentia praelationem et obsequia deberi ac propterea Archiepiscopum Suffrag. Praensem Oratorem caeteris Dignitatibus archiepiscopali inferioribus ubique et in omnibus praefendum esse. n. 1857 die 1. Decb. 1657.

### ARCHIPRESBYTER.

#### 1) Celebrans.

Vd. *Usus Pontificalium* (decr. n. 4614 nota; et alia decreta).

Missarum celebrationem in absentia Archipresbyteri, vel etiam in ejus praesentia, si ipse celebrare noluerit, ad Dignitates seu antiquiores presbyteros, non autem ad ejus substitutum pertinere, cui *tamquam substituto* nec locum ullum nec incensi aut pacis honorem convenire. n. 183 die 14. Decb. 1602.

Licere Archipresbytero solemniter celebranti uti mensa absque tamen luminaribus alioque ornatu episcopali. n. 1544 ad 6 die 16. Sept. 1645.

Non licere Archipresbytero delegare alios in functionibus suo arbitrio sed servandum esse decret. sub die 7. Oct. 1645. n. 2881 die 6. Mai. 1679.

Celebrationem missae sol. et Officii pro festo dedicationis Ecclesiae s. Mariae in Cosmedin de Urbe ab Archipresbytero peragendam. n. 3779 die 10. Decb. 1707.

#### 2) Ecclesiae Metrop. Pisanae.

(Privilegia.)

Vd. *Usus Pontifical.* (decr. n. 4696.)

#### 3) Locus in processione.

Archipresbyterum in processionebus stola tantum et colta indutum non

posse incedere post Canonicum paratum. In processionebus debere incedere inter duos Canonicos vel ad dexteram dignioris. n. 1544 ad 3 et 4 die 16. Sept. 1645.

#### 4) Praeced. et honor.

Vd. *Aspersor.; Chorus.*

Non convenire Archipresbytero sedem paratam, neque, ut Presbyteri et Clerici eum associant, neque quod eorum dignior in porta Ecclesiae porrigat et ministret ei aspersorium, neque alia praetensa obsequia praestent, quae solis Episcopis a Canonicis Ecclesiarum Cathedr. debentur. n. 506 die 4. Julii 1615. Vd. *Canonici.* (Praeced.)

Decano et Canonicis *collegialiter* incedentibus tam intra quam extra Ecclesiam praecedentiam competere supra Archipresbyterum. n. 1052 ad 1 et 2 die 11. Maii 1638.

Nullam qualitatem Archipresbyteri remanere post renuntiationem Archipresbyteratus; idcirco eum esse contemplandum uti simplicem Sacerdotem, illumque antiquioribus in Ordine cedere oportere. n. 1916 die 7. Sept. 1658.

#### 5) Sedes.

##### a) In sua Ecclesia.

Non licere Archipresbytero pro commodiori audientia concionatoris habere sedem prope altare, sed in alio loco opportuno et decenti. n. 1544 ad 7 die 16. Sept. 1645.

In choro nihil esse innovandum quoad sedem ipsius Archipresbyteri. Ibidem ad 8.

##### b) Extra suam Ecclesiam.

Non licere Archipresbytero habere sedem particularem extra Ecclesiam archipresbyteralem, sed in aliis debere esse contentum sede aequali una cum Canonicis, in loco tamen digniori, ornato etiam tapete et pulvinari pro

genuflexione. n. 1544 ad 1 die 16. Sept. 1645.

### ARUNDO.

#### 1) Amotio.

Vd. *Lumen Christi*.

#### 2) Deferrens.

Vd. *Diaconus* (cant. Exultet.); *Benedictio ignis* (Officiator, decr. n. 4672).

### ASCENSIO DOMINI.

#### 1) Dies octava.

*Ad dubium*: Quum Collegio S. Caroli ad Catinarios de Urbe concessum fuerit, ut Officium B. M. V. sub titulo Auxilium Christianorum die 24. Maii celebraretur sub ritu dupl. II. Cl., quaeritur: quid agendum sit, si eodem die occurrat dies octava Ascensionis D. N. s. Chr.?

Emi. et Rmi. P. . . . rescribendum consuerunt: „Juxta Rubricas faciendum esse Officium de duplici II. Cl. cum commemoratione diei octavae Ascensionis in utrisque Vesperis, Laudibus et Missa.“ n. 5230 ad 5 die 29. Nov. 1856.

#### 2) Occurrentia.

Ascensio Dom. occur. cum festo Apparitione s. Michaelis archang., Vd. *Apparitio s. Michael.*; *Communicantes*.

### ASPERSIO AQUAE BENED.

#### 1) Antiquitas.

Vd. *Aspersio aquae ben. in dom.* (Officiat. decr. n. 4672 nota ad finem.)

#### 2) In bened. fontis in Sabb. s.

Vd. *Aspersio aquae bened. in dom.* (Off. decr. n. 5228.)

#### 3) In Dominica.

##### a) Clerus.

Servanda est consuetudo in Metropol. Januensi aspergendi omnes Canonicos

singulatim diebus dominicis ante Missam. n. 2083 ad 12 (2<sup>do</sup> loco) die 18. Decb. 1660.

In *missali* in rubrica benedictionis pro aspersione aquae benedictae in dominicis dicitur, quod Sacerdos celebraturus debeat ter aspergere altare deinde se; et in Caerem. Lib. II. c. XXXI. nihil dicitur de Celebrante. Quenam istarum regularum servanda sit? S. C. resp.: Sequendam esse rubricam Missalis et secundam partem c. 31 Caerem., ubi agitur de aspersione, quae fit absente Episcopo. n. 2594 ad 8 die 3. Sept. 1672.

*Ad dubium*: an Sacerdos missam dominicalem celebraturus in Ecclesiis Colleg. possit offerre aquam bened. Diacono et Subd. manu eorum aspersorio capiendam, an vero ipsos aspergere debeat non obstante contrario usu? S. C. resp. *Negative*. Dictus Sacerdos debet aspergere Decanum et singulos Canonicos singulatim; reliquos de Clero, si sint in parvo numero, etiam singulatim; si vero in magno numero, omnes unico ictu quasi in gyrum aspergendos esse. n. 3493 ad 2, 3, 4 die 27. Sept. 1698.

##### b) Coram Episcopo.

*Ad dubium*: an in aspersione aquae bened. coram Episcopo facta, postquam Episcopus se ipsum et Celebrantem aspersit, sit etiam duo sibi assistentes Diaconos aspersurus et aspersione hujusmodi durante, a principio usque in finem stare debeat? S. C. resp.: Convenire et decere. n. 3614 ad 2 die 11. Febr. 1702.

##### c) Laici.

Parocho Ecclesiae Albignani non licet porrigere aspersorium propriis manibus Baroni ejusdem loci et ejus uxori, dum Divinis intersunt. n. 3481 die 2. Aug. 1698.

*Ad dubium*: an missam dominicalem

celebraturus possit offerre domino temporali loci aquam bened. manu ejusdem ex aspersorio sumendam, an vero teneatur ipse illum aspergere non obstante contraria consuetudine? S. C. resp.: *Dentur decreta*. n. 3493 ad 1 die 27. Sept. 1698.

Populum a Sacerdote ter, in medio, a dexteris et a sinistris aspergendum esse. n. 3493 ad 4 die 27. Sept. 1698.

Baroni Calimerae ministranda non est propriis manibus aqua lustralis a parocho, superpelliceo vel pluviali induto, in solita aspersione faciendam ante initium missae in diebus dominicis et festivis. n. 3684 ad 4 die 26. Apr. 1704.

##### d) Ministri.

Celebrans aspergens populum aqua bened. associari debet a Diacono et Subdiacono et Ministris Altaris et recitare psal. *Miserere* ad formam rubr. Rit. tit. de Bened. n. 2345 ad 13 die 31. (Julii) 1665.

##### e) Modus.

Vd. *Aspersio aquae bened.* — (modus); *Aspersio aquae etc.* (Officiator; decr. n. 4672.)

In aspersione Aquae benedictae, quae qualibet Dom. ex Rubricarum praescripto fit ante Missam solemnem, Celebrans omnes in Choro assistentes eadem aqua lustrat. Accedens vero ad Chorum plerumque Cornu Epistolae petit; dubitatur modo utrum valeat ab eodem Choro recedere finita benedictione per eandem viam, vel completo gyro per cornu Ev. ad Altare redire? Pro solutione hujus Dubii S. R. C. humillime rogarunt Aeditui et Beneficiati Eccl. S. Mariae in Foro Civitatis Lucanae. Et S. eadem C., audita relatione a subscripto Secretario facta, omnibusque consideratis, rescribendum censuit: „Serventur Rubricae, vel laudabilis consuetudo, quae Rubricis non adversatur.“

Atque ita rescripsit. n. 4971 die 17. Jun. 1843.

*Ad dubium*: An Celebrans diebus Dom. Chorum aditurus ad aspergendum Clerum Aqua lustrali, accedere debeat per latus Epistolae, atque circum perniciens post aspersionem redire debeat ad Altare per latus Ev., seu potius ire ac redire debeat per latus Ev.?

Et Emi. ac Rmi. P. . . . rescribendum censuere: „Juxta Votum Magistri Caerem.“, nimirum:

Affirmative ad primam partem; negative ad secundam.

Atque ita rescripserunt, servarique mandarunt. n. 4978 die 7. Dec. 1844.

*Ad dubium*: Utrum in Dominicis, quum Celebrans in aspersione Aquae ante Missam Solemnem intonat Antiphonam — *Asperges me* — debeant Chorales, id est Clerici in Choro circumstantes, sese vertere ad Altare? . . . rescriptum prodit:

„Quoad Clericos in Choro degentes negative, seu non teneri: quoad reliquos Clericos in Presbyterio commorantes affirmative, si adsit consuetudo.“

Atque ita S. C. rescribere rata est, propositaque Dubia declarare. n. 5208 ad 1 die 12. Aug. 1854.

##### f) Officiator.

Vd. *Stola*, (quo modo def.); *Paramenta* (depos.).

Hebdomadarius aquam benedictam aspergat in Ecclesia juxta Rubricas Missalis. Quodsi chorus adeo sit elatus, ut nisi per scalas ad eum non pateat accessus, alter Sacerdos superpelliceo et stola indutus in choro aspersionem faciat. n. 32 ad 1 die 17. Novb. 1592.

Missae Sacrum faciens per Chorum tantum a Ministris associatus asperget. Per Ecclesiam vero et ad populum poterunt Ministri ipsi aspergere in Sacrificio illo. n. 133 ad 10 die 2. Sept. 1597.

Aspersionem aquae benedictae in Dominicis fieri debere per celebrantem et non per alium, non obstante contraria consuetudine. n. 923 ad 1 die 5. Julii 1631.

Tam Dignitates quam Canonici celebrantes in diebus dominicis vel aliis sol., tenentur facere aspersionem per se ipsos. n. 2965 die 20. Sept. 1681; n. 4235 ad 13 die 15. Sept. 1753.

Aspersionem aquae benedictae in diebus dominicis fieri debere per ipsum Celebrantem, *etiam quod sit prima vel alia Dignitas*, non obstante contraria consuetudine, quae potius corruptela quam consuetudo dici debet, cum sit contra rubricas missalis romani et Caeremonialis (Lib. II. c. XXX). n. 968 die 27. Nov. 1632; n. 1856 die 1. Dec. 1657; n. 2931 die 11. Jan. 1681.

Si aliquando in Dominicis in aspersione aquae benedictae in cappella regia nonnulli Episcopi simul reperiuntur, Celebrans illos et Cappellanum regium, qui est Episcopus proprius, aspergere debet, ut Romae fit in Ecclesiis Patriarchalibus. n. 1554 ad 3 die 14. Apr. 1646.

In dominica Palmarum facere debet Asperges Celebrans. n. 1606 ad 2 die 13. Mart. 1649; n. 1613 ad 1 die 16. Nov. 1649.

Ritus aspergendi aqua benedicta populum restringitur ad dies dominicos tantum ante missam. n. 2345 ad 3 die 31. (Julii?) 1665.

*Ad dubium*: Utrum ferri valeat usus aspersionis aquae benedictae, quae fieri debet in diebus Dominicis ante Missam Solemnem, peragi solitae non quidem a Celebrante, sed a Cappellano Chori cum Pluviali? S. C. resp.: „Negative.“ n. 4672 ad 11 die 12. Nov. 1831.

NOTA GARDELL. AD HOC DECRETUM.

Responsio ad Dubium nulla prorsus indigeret adnotatione, clarissima enim

per se res est. Ipsa enim Missalis Rubrica, et Caeremonialis Episcoporum praescriptio regulam suppeditat, quae servari debet in aspersione Cleri faciendi diebus Dominicis; sed quoniam usus in medium adducitur, qui viget in Metropolitana Ecclesia Pisana, ut nempe non a Celebrante, sed a Cappellano Chori Pluviali induto aspersione cum Aqua benedicta peragatur, haud quidem inopportunitum erit quaedam subjicere, ut abusus hac in re appareat, pariterque de medio servatus huc usque usus tollatur, ac Rubrica Missalis et Caeremonialis Episcoporum, ut in responsione sancitum est, servetur. Missalis siquidem Rubrica in Ordine ad faciendam aquam benedictam haec habet: *Finita benedictione (aquae) Sacerdos celebraturus indutus Pluviali coloris Officio convenientis, accedit ad Altare, et ibi ad gradus cum Ministris genuflexus, accipit a Diacono Aspersorium. . . Interim Celebrans aspergit Clerum, deinde Populum.* His similia habet Caeremoniale Episcoporum cap. 15, §. 14.: *Dominicis vero diebus . . . quia Clerus, et Populus ante Missam Aqua benedicta per Celebrantem est aspergendus, oportet illum incedere Pluviali indutum inter Diaconum a dextris, et Subdiaconum a sinistris de more paratos, qui postea facta Aquae benedictae aspersione, et dicta Oratione, et deposito Pluviali accipient Manipulum et Planetam, et incipient Missam.* Cui nam dubium poterit oriri, sit ne ipse Celebrans, qui Clerum Aqua benedicta aspergere debeat? aut quis potius contrariam praxim abusum redolere non existimet, Rubricae Missalis et Caeremonialis adversantem praescripto? Nihil huic tam clarae praescriptioni addere oportet; nihilominus aliquid adnotatur quod ipsa verba Rubricae Missalis et Caeremonialis offerunt adnotandum ad clarius rem ipsam ostendendam, et extra

omnem dubitationem, aut ambiguitatem adducendam. Quod ipse Celebrans debeat Clerum aspergere non modo ex his verbis Rubricae: *Interim Celebrans aspergit Clerum, deinde Populum: vel aliis Caeremonialis: Quia Clerus et Populus ante Missam Aqua benedicta per Celebrantem est aspergendus*; verum etiam ex toto contextu eruitur, ut quisque per se videt, et percipit ex aliis, quae post illa, verbis sequuntur. Nam in Caeremoniali Episcoporum haec leguntur: *Oportet illum (Celebrantem) incedere Pluviali indutum inter Diaconum a dextris, et Subdiaconum a sinistris de more paratos; qui postea . . . accipient Manipulum et Planetam, et incipient Missam*: Nulla hic interponitur Mora inter aspersionem et Missae initium, nullus alius a Celebrante diversus Sacerdos nominatur, qui aspergat, vel nullus alius ab eo, qui aspersit, ad incipiendam Missam parandus indigitatur; sed unus idemque, nempe qui aspersit, dicitur celebraturus, unus igitur idemque debet esse et qui celebrat et qui aspergit. Idem omnino iterum legitur in eodem Caeremoniali lib. 2 cap. 30: *Absente Episcopo in Ecclesiis Cathedralibus, et Collegiatis, aliquis Canonicus, seu Dignitas, vel is, ad quem de consuetudine spectat hac die celebrare in absentia Episcopi, paretur in Sacristia more solito cum Pluviali albo, et accedat ad Altare medius inter Diaconum et Subdiaconum paratos omnibus paramentis ipsis convenientibus . . . accepto de manu Diaconi Aspersorio cum Aqua benedicta . . . asperget primo Altare, deinde seipsum, mox Diaconum, et Subdiaconum . . . quo facto deposito Pluviali capiet Planetam, et . . . inchoabit Missam.* Quod si haec postrema verba non leguntur in Missali, non ex eo sequitur, Sacerdotem, qui aspersit, non debere celebrare Missam,

quod manifeste praescribitur a Caeremoniali, sed dicendum, Missalem Rubricam omisisse, quia in eo solum est, ut indicet Ritum, quo debet Clerus, et Populus aspergi, et satis esse existimavit ab initio innuisse eum debere Missam celebrare qui aspersit, per ea tantum verba, quibus Rubrica incipit, nempe: *Sacerdos celebraturus indutus Pluviali . . . aspergit Clerum.* Quid plura? Observat apposita ad rem nostram Merati: Sacerdotem Missam solemniter celebraturum ita paratum egredi cum suis Ministris a Choro ad Altare ad faciendam Aquae aspersionem, quod sane probat, unum eundemque esse debere, qui aspergit, et qui celebrat; quodsi alius a Celebrante esset, hoc utique indicasset. Hanc aliquorum quoad hunc ritum servandum renuentiam jamdiu cavit Sacrorum Rituum Congregatio, quae clarissimis innixa Rubricae verbis alias decrevit: ab ipso Celebrante fieri debere aspersionem cum Aqua benedicta diebus Dominicis; Anno scilicet 1632 sub die 27. Novembris in Perusina. Quum enim Eminentissimus Cardinalis de Torres tunc Episcopus Perusinus mandaverit, ut Dominicis diebus per ipsum Celebrantem fieret aspersione juxta Missalis praescriptum, et Archipresbyter, Perusinae ejusdem Cathedralis Dignitas, id aegre ferret et peragere recusaret, asserens numquam a Dignitatibus factam fuisse hanc aspersionem, Sacra Congregatio, supplicante dicto Archipresbytero de non innovatione, respondit: *Aquae benedictae aspersionem in diebus Dominicis fieri debere per ipsum Celebrantem*, et nulla facta distinctione inter Dignitatem et simplicem Canonicum, vel Presbyterum; ut ostenderet hoc munus esse cujusque celebrantis, adjunxit, *etiam quod sit prima vel alia Dignitas*: nihili faciens, immo excludens contrariam consuetudinem, addidit, *non obstante contraria consuetudine*, immo

improbans concludit: *quae potius corruptela quam consuetudo dici potest, quum sit contra Rubricam Missalis et Caeremonialis.* Et haec verba, quibus includitur etiam Dignitas, si ad eam celebrare spectat, consonant cum aliis, quae superius allata sunt ex lib. 2. cap. 30. Caeremonialis Episcoporum desumpta.

Neque quis dicat posse quemcumque Sacerdotem a Celebrante diversum hanc actionem peragere, quemadmodum et quicumque sacerdos, qui non sit celebraturus, potest Aquam eo die benedicere: ex hoc sane illud non sequitur; nam praeterquam quod, ut vidimus ex Rubrica Missalis et ex Caeremoniali, Sacerdos celebraturus Clerum et Populum debet aspergere, ipsa Rubrica innuit, aquam, qua aspersio fit, a quocumque Sacerdote a Celebrante distincto posse benedici, quod de eo, qui aspergit, non innuit, neque inuere potuit semel ac statuerit ab ipso Celebrante faciendam esse aspersionem. Siquidem haec de facienda tantummodo aqua benedicta habet: *Die Dominico in Sacristia praeparato Sale, et Aqua benedicenda Sacerdos celebraturus Missam, vel alius ad id deputatus:* quae verba, quum agitur de aspergendo cum hac Aqua Clero et Populo, non habet. Liberum itaque non est, quemadmodum in benedicenda Aqua, sic et ad Clerum et Populum aspergendum alium a Celebrante distinctum Sacerdotem deputare, sed Celebrantis, quicumque ipse sit, proprium est munus. Qui aliter vel sentit vel agit, contra Rubricam agit. Hinc nisi quis velit inobedientis notam consulto incurrere, Missalis et Caeremonialis praescripto debet conformari, et a contraria, si quae alicubi est, consuetudine recedere, quae a Sacra Rituum Congregatione corruptela declarata jamdiu fuit, et novitatem in Sacris Ritibus induceret.

Unum hic addendum non abs re erit, ut hujus ritus antiquitas innotescat. Haec Aquae cum Sale mixtae benedictio, et Populi Christiani cum ea aspersio juxta Auctores non paucos ab ipso Apostolorum tempore erat in usu, praecepta autem fuit Ecclesiae Saeculo secundo vix inito ab Alexandro Primo, ut constat ex Libro Pontificali, et ex multis Auctoribus de Ecclesiae Ritibus pertractantibus Rhabano Mauro. Walfrido Strabone, Micrologo: hinc Rubrica Missalis hanc praecipiendo aspersionem, velustissimum immo priscum ritum servandum praecipit, et de hoc ritu extat antiquus Canon Concilii Namnetensis apud Burchardum Wormaciensem lib. II. cap. XII. in quo legitur: *Omnibus diebus Dominicis unusquisque Presbyter in sua Ecclesia ante Missarum sollemnia aquam benedictam faciat in vase nitido tanto mysterio convenienti, de qua Populus intrans Ecclesiam aspergatur.* De antiquitate hujus ritus semper ab Ecclesia retenti, ut nempe Presbyter ipse die quolibet Dominico per Ecclesiam procederet, et Populum Aqua benedicta aspergeret, edocent vetusta Caroli Magni Capitularia, ubi lib. V. cap. 220 praecipitur: *Ut omnis Presbyter die Dominico cum psallentia circumbeat Ecclesiam suam cum Populo, et Aquam benedictam ferat.*

*Ad dubium:* An Episcopus tolerare possit quod diebus Dominicis ante Missam Conventualem non ipse Celebrans, sed inter Canonicos primus Aquae lustralis efficiat aspersionem: idque pariter fiat Sabbato S. quoad aspersionem cum aqua recenter benedicta?

Emi. et Rmi. P.... respondendum duxerunt:

„Negative ad primam partem: quoad secundam servandam esse consuetudinem.“

Atque ita S. R. C. rescribere rata

est, propositaque Dubia declarare. n. 5228 ad 5 die 29. Nov. 1856.

#### g) Oratio.

Consuetudinem, ut Canonici aspersionis Officium peragentes, non ante altare sed prope sedem preces et orationem cantent, ab Ecclesiae Cusentinae praxi revocandam fore. n. 1992 die 19. Julii 1659.

#### 4) In dom. Palmarum.

In dominica Palmarum, Episcopo earundem benedictionem solemniter celebrante, non est facienda hujusmodi aquae benedictae aspersio. n. 3674 ad 3 die 11. Febr. 1702.

#### 5) In Eccl. non parochialibus.

*Ad dubium:* an in Ecclesiis non parochialibus liceat aquam benedicere et aspersionis caeremoniam dominicis diebus peragere? S. C. „plurimum de prudentia Ordinarii confisa ejusdem arbitrio indulgendum dimisit. n. 2017 ad 1 die 22. Nov. 1659.

#### 6) Modus.

*Ad dubium:* In benedictione Candelarum, Cinerum et Palmarum dicit Rubrica Missalis: *Ter aspergit... aqua benedicta... ter adolet incenso;* et sic legitur in Caeremoniali Episcoporum. Item Rituale Romanum in Rubrica de exequiis dicit: *circumiens feretrum... aspergit corpus defuncti, et corpus incensat, ut asperserat:* Similia leguntur in Caeremoniali Episcoporum. Nihil autem dicitur, an praedictae aspersiones, sicut et aspersio, quae fit diebus Dominicis, faciendae sint cum Aspersorio per modum Crucis, ut praescribitur in Rituali Romano pro benedictione Mulierum post partum, an alio modo. Similiter iis in Locis, sicut et in thurificatione Sanctissimi Sacramenti expositi, Crucis, Reliquiarum, Altaris, et Evangeliorum

in Missa solemniter nil dicit Rubrica, an tres thuribuli ductus debeant esse simplices, an duplicati. Quaeritur: quomodo facienda sit tam aspersio, quam thurificatio, quum praxis videatur arbitraria? S. C. resp.:

„Serventur Rubricae et praxis communis.“ n. 4669 ad 38 die 12. Nov. 1831.

### ASPERSIO CUBICUL. MONIALIUM.

*Ad dubium:* an sit permittendus Confessariis Monialium civitatis Burgi tam exemptarum quam Episcopo subiectarum fer. 3. majoris hebdomadae ingressus intra septa Monasteriorum ad aspergendum ipsarum Monialium Cubicula? S. C. resp.: scribendum esse Episcopo, quod non permetteret. n. 3514 die 4. Apr. 1699.

### ASPERSORII PORRECTIO FIT

#### 1) Canonicis ab Episcopo.

Episcopum debere aspergere immediate Capitulum, nisi tunc adsit alius Episcopus, et postea Vicarium et Magistratum saecularem. n. 1588 die 18. Maji 1647.

Episcopus aspersionem per digniorem incipere debet. n. 3551 ad 15 die 13. Mart. 1700.

Quando Episcopus Ecclesiam Regularium ingreditur a suis Canonicis et Dignitatibus associatus, debet aspersionem incipere per eum, a quo accepit aspersorium. n. 3551 ad 16 die 13. Mart. 1700.

#### 2) Canonicis et Dignitat. a Sacerdote.

Vd. *Capitulum* (associat).

*Ad dubium:* an et a quo et quomodo sit danda aqua lustralis Capitulo et Canonicis Colleg. Montis Callerii Taurin. Dioec. processionaliter acce-